filiorum Israel, qui erant in Betyla, — et consideravit ascensiones civitatis eorum; — 7. Et fontes aquarum eorum aggressus est, et occupavit eos : et imposuit eis castra virorum bellatorum : et ipse rediit ad populum suum. — 8. Et accedentes ei omnes principes filiorum Esau, et omnes duces populi Moab, et duces maritimæ dicebant : — 9. Audiat nunc verbum dominus noster, ut non fiat quassatio in virtute tuâ. — 10. Populus enim hic filiorum Israel non confidunt in lanceis suis, sed in sublimitatibus montium suorum, in quibus ipsi inhabitant in eis. Non enim est facile accedere cacuminibus montium eorum. — 11. Et nunc, domine, ne belles adversus eos, sicut fit bellum prælii : et non cadet de populo tuo vir unus. — 12. Mane in castris tuis, custodiens omnem virum de virtute tuâ : et obtineant pueri tui fontem aquæ, qui egreditur à radice montis. — 13. Quoniam inde aquantur omnes habitantes Betyla : et perdet eos sitis, et dedent civitatem suam. Et nos, et populus noster ascendemus super vicina cacumina montium, et castrametabimur in eis ad custodiam, ut non exeat de civitate vir unus. — 14. Et taberient in fame ipsi, et uxores eorum, et filii eorum; et priusquam veniat gladius super eos, sternerunt in plateis habitationis suæ. — 15. Et retribues eis retributionem malam, pro eo quod rebellaverunt, et non occurrerunt faciei tuæ in pace. — 16. Et placuerunt verba eorum in conspectu Olophernis, et in conspectu omnium ministrorum ejus, et constituerunt facere, sicut locuti fuerant. — 17. Et promoverunt castra filiorum Ammon, et cum eis millia quinque filiorum Assur, et castrametati sunt in valle, et præoccupaverunt aquas, et fontes aquarum filiorum Israel. — 18. Et ascenderunt filii Esau, et filii Ammon, et castrametati sunt in montana contra Dothaim : et miserunt ex ipsis ad austrum, et subsolanum à regione Erebhel, que est prope Ghus, que est super torrentem Mochmur. Et reliquis exercitus Assyriorum castrametati sunt in campo, et operuerunt omnem faciem terræ. Et tabernacula, et impedimenta eorum castrametata sunt in turba multâ, et fuerunt in multitudine plurimâ valde. — 19. Et filii Israel exclamaverunt ad Dominum Deum suum, quoniam pusillanimitas factus est spiritus eorum; quoniam in circuitu erant inimici ipsorum, et non erat effugere à medio eorum. — 20. Et manserunt in circuitu eorum castra Assur, pedites et currus, et equites eorum diebus triginta quatuor. Et deciderunt omnibus habitantibus Betyla omnia receptacula sua aquarum : — 21. Et cisternæ evacuantur, et non habebant bibere ad satietatem aquam diem unum : quoniam in mensurâ dabant eis bibere. — 22. Et consternati sunt infantes eorum, et mulieres eorum, et juvenes defecerunt præ siti, et cadebant in plateis civitatis, et in transiibus portarum : et non erat robur ultra in eis. — 23. Et congregati sunt omnis populus ad Oziam, et principes civitatis, juvenes, et mulieres, et pueri, et clamaverunt voce magnâ, — et dixerunt eorum omnibus senioribus : — 24. Judicet Deus inter nos et vos; quoniam fecistis in nobis injustitiam magnam, non loquentes pacifica cum filiis Assur. — 25. Et nunc non est adiutor noster, sed vendidit nos Deus in manus eorum, ut prosternamur coram eis in siti et perditione magnâ. — 26. Et nunc invocate eos, et date civitatem omnem in direptionem populo Olophernis, et omni virtuti ejus. — 27. Mellius enim nobis fieri eis in direptionem. Erimus enim in servos, et vivet anima nostra; et non videbimus mortem infantum nostrorum in oculis nostris, et uxores, et filios nostros, deficientes animas eorum. — 28. Contestamur vobis cælum, et terram, et Deum nostrum, et Dominum patrum nostrorum, qui ulciscitur nos secundum peccata patrum nostrorum, ut non faciat juxta verba hæc in die hodiernâ. — 29. Et facta est ploratio magna in medio ecclesie omnium unanimiter : et clamaverunt ad Dominum Deum voce magnâ. — 30. Et dixit ad eos Ozias : Confidite, fratres : obduremus adhuc quinque dies, in quibus convertet Dominus Deus noster misericordiam suam super nos. — Non enim derelinquet nos in fine. — 31. Si autem transierint hi, et non venerit super nos auxilium, faciam secundum verba vestra. — 32. Et dispersit populus in castra ipsius, et ad muros et terras civitatis suæ abierunt : et mulieres, et filios in domos suas dimisit. Et fuerunt in humilitatione multâ in civitate.

COMMENTARIUM.

Bethulæ describitur obsidio quoad ejus principium et progressum, et utrumque quoad obsidentes et obsessos. In principio est obsidentium numerus ad urbem accessus. Numerus in Latino textu est, *pedites bellatorum* centum viginti millia et equites viginti duo millia. Ecce alius jam equitum numerus et duplo Jere major quam fuerit cap. 2. vers. 7. Neque dicere licet in majori isto numero numerari eos qui ex domitis occupatisque

populis et regionibus accesserant quamplurimi, cap. 5, vers. 8. Id enim diligenter cautum hic est, dum adicitur, *præter præparaciones viorum illorum quos occupaverat captivitas, et abducti fuerant de provinciis*. Ideoque opinor, initio cum itinere se dedit Holofernes, non fuisse nisi equitum sagittariorum duodecim millia, expectata tamen adhuc è gentibus, quæ Assyrio jam tum imperio parent, vel ei foederata essent, plura millia quæ consequi jussa sint, pertineantque ad illos etiam quos cap. 5, vers. 15, expectavit Holofernes. Græca tamen hic æra rursùm à Latinis discrepant. Peditum enim *millia centum et septuaginta* ostendunt, equitum *duodecim tantum millia*. Neque tamen à Latinis tantum, sed à seipsis dissentiunt. Antea siquidem, cap. 2, peditum *centum viginti millia*, pauciora scilicet quam hic, et equitum *centum* item ac *viginti millia*, multo nimirum quam hic plura. Sed quoad pedites, componi queat lis non difficulter. Licet enim existimare antea Græcum ipsum enumerasse pedites qui itineris initio adierant, non eos qui consequi jussi sint, uti de equitibus nanjam in Latino dicebam; eundem tamen Latinum pedites, qui postea concessit sint, siluisse. Cum silentii tamen causa mihi quidem nulla compareat, viaticos Græci textus numeros existimo. Quomodo enim è centum viginti duobus equitum millibus, ad duodecim millia ventum jam esset? Quæ hæc tenens pugna, quæ clades, quæ contagio tot chiliadas attrivit? Ex isto potius loco malum priorem illum sanare, ut pro myriadibus legendæ ibi sint, quemadmodum hic *χιλιάδες, δεκαδύο*. Retinet verò tam equitum quam peditum collocatum hic numerum Zonaras tom. 4. Accessus verò eorum vers. 5, est: ubi Belma, in Græcis Romanis est *βελμα*, in Complutensibus *βελμαία*, in Brocardo lib. de Terrâ sanctâ, *Abelina*: «A Ramâ, inquit, est una cœna et dimidia ad villam quamdam, quæ olium grandis, fuit vocata *Abelina*, distans à Dothaim mediâ leucâ versùs orientem, de qua è in lib. Judith fit mentio. De Abelina est una cœna ad montem Bethuliae.» Et videtur eadem quæ in Græco infra, cap. 8, vers. 3, *Βελμαίων*. Chelmon verò in utrisque Græcis *Κηλμών*, vel per allusionem *Chelmon*, vel ob fabarum, quæ ibi crescebant, multitudinem. Est enim faba *κίσπος*, Heb. *phol*, 1 Reg. 17, vers. 27. Græci tamen textus ipsam potius castrorum metationem hic describunt, et quidem ita, ut ex loci occupatione, ingentem

hostium multitudinem commônstrent hoc modo: «Castra posuerunt ad fontem in valle propinquâ Betuliae, eaque extenderunt in latitudinem à Dothaim usque Bethleem, in longitudinem à Betullâ usque Cyamoneum, quæ Esdreioni è regione objecta est.» Jam obsessi hoc ipso principio, tria fecerunt: Primum in Græcis dicitur: «Israëlites, ubi horum multitudinem viderant, admodum conturbati sunt, dixeruntque alius alii: Nunc isti totius terræ faciem obliguerunt, ita ut neque editi montes, neque vales, neque colles eorum onus seu vim atque impetum sustinere possent.» Quod obliguerunt, dixi, Romanus ait, *εὐλαβήσαν*, Complutensis tamen *εὐλαβήσαντες*, occupabunt et adaperient, reserabunt. Sed alterum illud majorem multò significantiam habet, quasi subito devorare omnia, linguisque tantum exertis elingere, aut elignatum seu electuariorum instar, ligurire quam citissimè facillimèque possint. Alterum in Latino solo est. *Prostraverunt se super terram mittentes cinerem super capita sua, unanimes orantes*. Metus ergo illorum et trepidatio magna fuit, non tamen tanta, ut animo caderent, præsidiorumque tali tempore opportunissimorum penitus obliviscerentur. Ea porro, ut ante dictum est, videm et humana sunt. Ad illa primò, et quidem sapientissimè religiosissimèque aggrediuntur, potestque hic rursùm notari et eorum à Deo petitio, et ipse petitionis modus. Sed illud nunc adnotetur, quemadmodum boni catholicique milites pugaam inire soleant. Prius enim de peccatis dolorem suscipere; sic tempus ferat, de iis confiteri, et sacrosanctam Eucharistiam sumere solent; semper certè genua flectere, Deum precari, coelium preces et auxilium obsecrare solent. Tum verò humanis quoque viribus depugnare incipiunt. Sequitur enim tertium vers. 5, *assumentes arma sua bellica sederunt per loca, id est, manserunt, fixos, consistebant*. In Græcis additur ab iisdem Israelitis ignes excitatos, sed variante lectione. Nam Complutensis habet *ἀντιπυρνας πυρνας*, *accendentes pyram*. Romanus *ἀνακαίοντες πυρνας*. Id verò non ob frigus, sed ut nocturnæ hostium molitiones paterent, fiebat. Quæ enim tunc hyems, aut qui tam molles et effeminati milites, ut primâ stadii nocte, focum requirerent?

In progressu ipsi *obsidentes*. Primò vers. 6, ipsi obsessis aquam eripiunt. Ea verò dum ipsi miserunt ad Austrum et subsolanum

tis parte inferiore, seu australi valle per canalem in urbem inflebat, de quo etiam infra cap. 12, vers. 7. Canalem ergo illum incidit jussit Holofernes. Sed enim *quomodo fons dirigebat? Quomodo non ipse fontem potius? An dirigabat pro dirigebat, legendum? An potius dirigere hic valet, efficere, ut bene, suoque fini convenienter, canalis procederet, id est, abundantem civibus aquam præferret? Altera minùs copiosa, minùsque patula vers. 7, quæ in Græco dicitur è montis radice promanare, sed in nostro, non longè à Bethulia muris, et quidem pluribus è fonticulis modicè admodum scaturiens, ita ut arentibus potius faucibus paululum irrigandis et recoilandis, quam siti explendæ omninòque depellendæ apta esset. Hæc verò non fuerat initio ipsi Holoferni visa, ideoque et Bethuliensibus relicta, eos utcumque adhuc recreabat. Proditâ tandem est, sed *quomodo? Cùm bibentes in fis locis aviculari ille cerneret, ait Scholastica historia, intellexit aquarum ibi esse scaturigines*. Lepidum augurium: sed commentitium. Non enim aves, sed homines, et Israelitarum quidem vicinos, indices proponit Scriptura vers. 8 Ammonitas et Moabitas. Licet enim illorum dux Achior Israelitis deditus esset, ipsi tamen vel metu, vel adulatione, vel aliquâ in duces ipsum, quia bonus nimirum, irâ et odio, exiguum hoc Israelitarum solatiolum prodiderunt, cùm ob viciniam, et locorum et opportunitatum istarum ignari non essent. Pro his tamen ponunt hic Græci, *filios Esau*, sive Idumæos, et apponunt *oræ maritimæ duces*, Philisthæos scilicet, et potius hos utrosque apponunt, quemadmodum textus noster istos præterit quidem, non tamen negat; ita *filios* hic Ammon omittunt Græci, neque ipsos tamen indicantur, quos postea versu 10, unâ cum *Esau filiis*, in montanâ ascendisse regionem tradunt. Facile verò ne vel aquali hæc Israelitis frui liceret, fonticulorumque scatebræ omnes acri custodiâ tenerentur, persuaserunt vers. 9 et 10. Eorum verò, ad Holofernem oratio est paulò in Græcis longior, simulque ejus quod ex eâ statim secutum, explicatio hæc. «Profecti sunt ergo Ammonitæ cum quinque Assyriorum millibus et castris in valle positus, aquas Israelitarum et aqueductus occuparunt; filii autem Esau et Ammonitæ in regionem montanam ascenderunt, castraque locaverunt è regione Dothaim. Porrò partem suorum miserunt ad Austrum et subsolanum*

adversus Eerebel, quæ est propè Chous (in Complutensi, Chous) quæ super torrentem Moehomour sita est. Reliquis Assyriorum exercitus in campo castra habuit, totamque terræ faciem operuit, et ipsorum tentoria, impedimentaque maximo numero castris diffusa sunt; et erant in multitudine valde magnâ. Tam arcta verò gravisque obsidio et fontium custodia in textu nostro, vers. 11, *dies viginti*, in Græcis *triginta quatuor*, fuit adhibita, quoad omnis obsessos aqua deficeret. Mihi in numeris Græcorum à Latino discrepantium arithmetica ferè semper suspecta, uti jam aliquoties indicavi. Nunc obsessi quid egerint, intueamur.

Magnum obsessis tunc fames ac sitis, sed nescio quo modo molestior et importunior hæc, ideoque plurimas viris viribus aliis omnibus optimè instructis arces et urbes domuit, quemadmodum ostendi lib. 7, cap. 5, Polybius; lib. 4, Lucanus; lib. 15 Antiquitat. cap. 8, Josephus, et lib. 1 Captivit. 14, libro 3, cap. 13, ubi et addit, quod huc ver. 11 spectat, quæ ipsum, quod *ad mensuram aqua dividitur*; ipsa penuria videri molestius, quia τὸ μὴ ἀντέδρασαν πλεον ἡνείκεν τοῦ ἔρπον, magis appetitum proritat, quod liberum non est. Aquæ verò penuria quanta hic fuerit, ita exponit; præterea, quæ in Latino sunt: Græcus: «Examabantur infantes eorum, mulieres ac juvenes præ siti deflebant, et concidebant in urbis plateis, portarumque transitu, et neque ullum in ipsis amplius robur supererat.» Tunc ergo, ut paulò antè idem Græcus dixerat, *ἀνιψήθησαν τὸ πνεῦμα αἰθίων, elanguit spiritus ipsorum*, parvo angustoque jam animo esse cœperunt; et Oziam omnes adierunt v. 12, eique dixerunt v. 15, idè se in tantum vitæ discrimen venisse, quòd, quemadmodum urbium provinciarumque aliarum principes cap. 5, vers. 4, et sequentibus, poscere ab Holoferne pacem noluerit: se à Deo jam traditos (id enim vendi significat, uti pluribus, in Judicibus, exposui) in Assyriorum manus; rogare, urbem nunc dedit, quia, ut antea cap. 5, vers. 2, è duobus malis deligendum minus. Sed minus hoc *malum duplex* isti significant. Unum, vers. 16, prestare, ut ad laudandum Deum, adhuc in vitâ maneat, quam cum suo, et religionis opprobrio, ipsi cum uxoris et liberis moriantur. Alterum vers. 17, prestare, ut brevi citaque, per gladium, morte defungantur, quam per assiduum aridarum faucium tormentum longo

lentoque supplicio deficiant. Dicuntur in Græco, hæc non uni Osia, sed principibus omnibus; quia tamen omnium præcipuus erat ille, ipsi, dubio procul, præcipue dicta sunt, ideoque et ipse, non in Latino tantum, sed et in Græco, solus respondet vers. 25, ex aliorum tamen principum sententiâ, ut ostenditur etiam cap. 8, vers. 10. Licet verò tristis admodum, exanimati, metu sitique facti hæc illi dicerent, nunquam tamen de divinâ misericordiâ et ope desperârunt, ad divinâ iterum præsidia confugerunt valde seriò et diu, vers. 18 et sequentibus. Nam et cum fletu, et cum ululatu, eoque magno, et ab omnibus, et non privatim aut singulatim, sed publicè et in Ecclesiâ, et cum peccatorum suorum confessione ac detestatione, denique ad extremam usque fatigationem et lassitudinem, vers. 22, ab iis ad Deum clamatum. An tot tamque serias preces miserator, miserers, Pater ille misericordiarum contemnat? Adhibent ergo et hujus divinæ bonitatis professionem, vers. 20, petuntque non simpliciter ne penarum nihil sufferant, sed tantummodo ne, cum divini nominis et religionis contemptu, in idololatrarum superbissimorumque hostium manus veniant. Ideò et alias quascumque penas, ut morbos, famem, pestem, aliaque similia, præ hostili hoc exilio, Dei flagellum vocant vers. 20, eo modo quo David 2 Reg. 24, vers. 14. *Coarctor nimis: sed melius est, ut incidam in manus Domini (multa enim sunt misericordiae ejus) quam in manus hominum, et 1 Paralip. 21, vers. 15. Collacrymati populo sunt principes, ipseque inprimis Ozias lacrymis infusus, ea dixit quæ sunt 24, de quibus plura sequente vers. 11 et sequentibus.*

QUESTIUNCULA.

Quæ ex hoc capit. vel historica refertur, vel ethica discantur?

Historica duo planè hinc referantur. Unum in Cedreno est, dum Hierosolymam ab Holoferne circumsessam, propèque hujus mœnia, illius tentorium fuisse tradit. Nonquid enim Bethulia Hierosolyma est? an parùm accuratè ab hæc illius et locus et mons, et vicinia, nomen, magistratus, aliaque omnia distare monstrantur vers. 5, 6, 7, cap. 4, vers. 6, cap. 7, 10, c. 15, vers. 9, clarissimè cap. 16, vers. 22, 25? Alterum in Suida verbo *Ὀσείης*, ubi narrat, quemadmodum Achaor, ut quam ei minatus erat Holofernes, mortem

evaderet, defectionem simulârî, et vi Bethulie, seu, ut ipse scribit Bethulæe, aquas occupârî, sicque urbem istam, ut jamjam se dedere cogitare, coegerit. Non aperta si non Suida, aliorum certè, qui ea in illum postea infarserant, somnia sunt? Possit et tertium illud in Sulpitio adjungi, quòd Oziam scribi populo persuasisse, ut dies adhuc quindecim dedicationem differret, nisi, quod facillè contingit, librariorum potius erratum videretur, ponentium XV, pro V. Sed quæ morès conformet *ethica*, jam sunt inde Commentario interpersa nonnulla, paucula tamen adjungenda. Primum, ut quando, religionis causâ, nostras à Turcis vel hæreticis urbes contingit obsideri, non manus statim demus; sed armorum, excubiarum, dimicationum labores feramus, negotiationum cessationes, villarum, hortorum, omniumque voluptatum excidia, facultatum etiam direptiones, famem denique ac sitim, Bethuliensium exemplo, quamdiù fieri potest, toleremus. Neque enim isti ad querelas statim et effeminatas complorationes venerunt, sed tantum post complurium dierum tolerantiam, cum siti jam torridi penitus marciscerent, ut supra dictum est. Quid enim, quod gentiles olim tam multi, tot hodie barbari tam perfaciter faciunt, christiani catholicique homines, ad Dei gloriam, ipsiusque honorem fortiter non faciant? Alterum, ut quando diutius ferri mala extrema non possunt, modestè magistratus et gubernatores adeamus, miserias iis nostras, et simul rationes, non per tumultum et seditionem, sed pacatè demissèque proponamus. Tertium, ubi proposuerimus, et illi tolerantiam adhuc nostram proferri diutius voverint, acquiescamus adhuc, et modestè, fortitudinisque nunquam obliviscamur. Quartum, non imitemur in eo tamen Bethulienses, quòd vellent nunc vers. 15, dedicationem initio statim à se factam fuisse. Is, ait Trinummo ille, *probus est, quem non penitet, quam probus sit et frugi bonæ. Quod ab iis factum hæcenus, fortiter ac religiosè factum est, cur benè ipsos factorum penitet?* His illi similes, qui, ne temporalium bonorum nimia vel jactura vel concussio sit, perpetuè volunt loqui *pacifè Assyriis*, quidlibet hæreticorum importunitati anuere. Sed Bethuliensium impatientiam extrema quodammodo excusat necessitas. Machiavellistis verò et amphidoxis excusatio quæ? Quintum, calamitatum, quibus cruciamur, causam diligenter ante oculos semper habeamus et con-

sciamur. *Peccavimus cum patribus nostris, iniquitatem fecimus.* Sanè nisi fuisset, in Lutheri, Calvini et hæreticorum aliorum exorta, clericorum disciplina solutor, doctorum vel raritas vel segnitia major, omnium vita corruptior, nunquam malorum tantum ætas nostra sensisset. Quemadmodum enim è corporum vestiumque pedore, ac illuvie pediculi, sic è Catholicorum vitis et sordibus hæreses nascuntur. Sextum, non putandum est, eorum utramque verum esse, quæ bonis istis, sed nimium sitibundis, quasi minora mala visa sunt. Minus quidem corpori malum est, citissimè ensis ictu mori, quam lento vel morbo vel fame ac siti contabescere; animo tamen, et virtutis, meritorumque apud Deum dignitati, non item. Melius est, ut qui Deum colunt, *captivi benedicant Dominum viuentes*, quam moriantur, at non semper. Ubi aliqui martyres? ubi fortes ac generosi religionis patriæque propagatores? Sed cum fecerunt homines quod in se est: cum captivitate invitis et repugnantibus imponit necessitas, vel pius sanctusque suadet Jeremias quispiam, Jeremias 21 et seq. Septimum. Rectissimè Bethulienses, nobis hunc vivendi finem et scopum esse demonstrant, ut *benedicamus Dominum. Posuit*, inquit, Ecclesiasticus cap. 17, vers. 7, *Deus oculum suum super corda ipsorum hominum ostendere illis magna opera suorum, ut nomen sanctificationis collaudent, et gloriari in mirabilibus illius ut magna exarent opera ejus.* Unde liber de diligendo Deo in D. Augustini tomo 9, cap. 2: *Considera, inquit, diligenter à quo, quare, vel ad quid creatus sit homo.* Et cum à Deo, propter summam ipsius bonitatem, creatum ostendisset, pergit: *Ad quid autem creata est rationalis creatura? Ad laudandum Deum, ad serviendum ei, ad fruendum eo, in quibus ipsa proficit, non Deus. Deus enim perfectus, et summa bonitate plenus, nec augeri potest, nec minui.* Quòd autem creatura rationalis facta est à Deo, referendum est ad creatoris bonitatem, et ad creaturæ utilitatem. Cum igitur quaeritur, quare vel ad quid facta sit rationalis creatura, respondendum est propter Dei bonitatem et creaturæ utilitatem. Utile nempe est ei servire Deo et frui eo. Octavum, expendi si huic, astuatissimæ licet, sitis flammæ Bethulienses, vel iis noxia potentibus principes ipsi cessissent, in quantum seipsum miseriam concessissent? quàm in-

signi Dei beneficium nobili victoriâ æternam se populorumque universum spollissent? Venit in mentem Lysimachi Macedonum regis, qui, narante Plutarcho, cum in Thraciâ ipse, toto cum exercitu, intolerandâ sitiurgeretur, sese hosti dedit, et eum captivus, optato jam potu potiretur ac bibere, exclamavit: *O dii, quam præcæ voluptatis causâ, meipsum ex rege servum effeci!* Id verò toties nobis accidit, quoties ob cibi vinique alicujus intemperantiam, ob aliam quancumque voluptatem, Holoferni nos tartareo constringendos damus, ut ex illis Dei, regni celestis hæredibus, verisque ac magnis, ut antea dixi, regibus, miseris diaboli mancipia, infelicissimæ æternorum ignium arbores postremisq. postremissimorum caecodæmonum servi efficiamur. Scio quendam, qui cum hæc in vitâ famem sitiumque nullam ferret, quin potius ipsius pecculique indulgere malisset, in inferno postea, frustra tamen, clamans dixerit: *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hæc flammâ,* Luc. 16. Nonnum et postremum esto, nostri temporis Holofernes, qui Bethulie aquas eripiunt, esse ipsos hæresiarchas Lutherum, Calvinum, Schwaefeldium, Filidinum, alios. Est enim catholica Ecclesia Bethulia, Dei virgo castissima, 2 Corinth. 14, vers. 2, in monte celestissimo posita, Isai. 2, ut explicat D. Augustinus epist. 170, et tract. 1 in Epist. 1 S. Joannis. Hujus fontes sunt sacrosancta septem Sacramenta, sacrice duorum Testamentorum libri. Hos, ne divina in nos gratia induat, nobis adiuvant, multo variorum argumentulorum et sophismatum militie septimi, veteres, antiquosque à Christo Domino traditos, et sanguinem non continent, sed cietera vacua est, fons aridus. Luthero, aut suppositione, similiter sacri nihil habet, pytheus tantum inanis est. In ipsâ verò suppositione adesse debet inobediencia, Ecclesieque Christi nam laico speciem porrigens contemptus, ut omnis illic è fonte isto humor evanescat, sicutque preant natu etiam majores, viri et femine, juvenes et senes. Quid cetera memorem? Nulli celestis aque à Confirmatione, Pœnitentiâ, Ordine, Matrimonio Ex-

tremâ Uinctio ductus sunt, ut omne hominum genus, parvos et magnos, nocentes et innocentes, Ecclesiasticos et laicos, cœlibes et maritos, valentes et ægrotantes aridissima sitis confluctet et examinet. Librorum verò dinororum quot et quàm ætherio roreavidas partes, tanquàm uberrimos canales avertent! Quomodo verarum sanctorumque interpretantium tubos et comœacula omnia confregerunt et concenterunt? Fonticuli sunt omnes Ecclesiastici ritus et cæremoniæ, omnia præcepta et instituta, omnes veterum sanctorumque Patrum Commentarii. Neque enim omnia hæc superioribus fontibus æquiparanda, suam tamen et ipsa divinam aquam Bethulia civibus præbent. Interipiunt, intervertunt et obsident fonticulos istos hæretici, dùm ab eorum usu adituque arcerent omnes ac prohibere satagunt. Hinc tanta et tam obscena ubique sitis, ut jam fiant, quæ Annæus ille poeta olim scribebat. Nec tamen pendum:

Sordidus exhausto sorbetur ab ubere sanguis,

sed, quod multo miserabilis, hominum et quidem Christianorum, tot tanque diuturnis bibulis bellis, eror bibitur.

*Et licet in fluvis saniem, tabemque ferarum
Palkia Dialectis hostes nascentia saxis*

*Infundant aconita palam, Germana juvenus
Non decepta bibat; torrentur viscera flammâ,
Oraque sicca rigent squamosis aspera linguis;
Jam marcent venæ, nulloque humore rigatus
Aeris alternos angustat pulmo meatus,
Rescissoque nocent suspiria dura palato,
Pendant ora siti, nocturnamque aera captant,*

CAPUT VIII.

1. Et factum est cum audisset hæc verba Judith (1) vidua, quæ erat filia Merari, filii Idox (2), filii Joseph, filii Ozias, filii Elai, filii Jannor (3), filii Gedeon, filii

(1) Nonnulli censent Judith esse nomen commune, sicut est Abra, sed huic heroinæ appropriatum. יהודית *Jehudit* enim idem est quod Judæus, unde יהודי *Jehudit*, et per crasin Judith, idem est quod Judæa.

Verius est Judith esse non enim proprium, cuius etymon apud huc congruit. Judith enim Heb. idem est quod confitens, laudans, glorificans, scilicet Deum; יהודה *hoda* enim significat confiteri, laudare, celebrare. Ad hoc enim Judith à turbâ secessit in suum oratorium, ut Deum assidue oraret et laudaret. (Corn. à Lap.)

(2) Nota. Sedecim duntaxat generationes et totidem avi Judith hic recensentur, eum à

ut eo scilicet aliquantulum refrigerentur, qui si ab Holoferne Bethuliensium aquarum venæ ac fistulæ occupate, custodiæ gentili circumvallatæ non essent, limpidissimis saluberrimisque Salvatoris nostri fontibus potari, lavari et refocillari potuissent. Nunc

Adhæsit lingua lactantis ad palatum ejus in siti.

Thren. 4, sternunturque passim non corpora sed animæ innumerabiles, cœlestium laticum penuriâ. Legatur hoc loco Rabanus, D. Bernardus serm. 4 de Natali Domini, D. Gregorius in caput 4 Canticorum, S. Augustinus in Psal. 75. In Scripturæ allegorici, quas Godefridus Tilmannus Parisiis edidit, est et hæc non contemptenda. «Tunc incidit diabolus caqueductum, cum facit interrumpere studium litterarum. Erant autem non longè à emuris fontes, dogmata philosophorum, qui scientiæ et honestatis aliquid conferunt societationum, ex quibus videbantur haurire furtim et aquam ad refocillandum potius quàm ad potendum. Nota, furtim, et, ad refocillandum.» Ita ibi.

ALTERA LIBRI PARS.

Continet admirabilem Israelitici populi à tanto, tanque formidabili periculo, per Judith factam liberationem, à capite octavo ad capituli decimi quinti versum nonum, potestque pars ista dividi in ea quæ ante sublatum Holofernem contigerunt, et in ea quæ post. Illa rursùm duplicia sunt: vel enim Judæis et apud Judæos à Judæa ipsa Judith facta sunt, et vel cum Assyriis et apud Assyrios. Priora sunt in capite 8, 9, 10, usque ad versum 11.

CHAPITRE VIII.

1. Et ita arriva lorsque Judith, veuve, eut appris ces choses, laquelle étoit fille de Merari, fils d'Idox, fils de Joseph, fils d'Ozias, fils d'Elai, fils de Jannor, fils de Gedeon, fils de

Jacob communi Judæorum patriarchæ usque ad captivitatem Babylonicam, numerantur 26 generationes. Math. 1. (Corn. à Lap.)

(3) In veteri Vulgata pro Elai filii Jannor, legitur *Helcia filii Hamo*, et Achitobum inter et Melchiam ponitur Eli, qui in nostro Latino textu siletur. Genealogia Judithæ in Græcâ et Syriacâ versione plurimum discrepat à Vulgata. Græcens hæc exhibet: *Judith filia Merari, filii Oz, filii Joseph, filii Oziel, filii Helcia, filii Elia, filii Helcia, filii Eliah, filii Nathanael, filii Salamiel, filii Sarasada, filii Israel*. Fieri potest, ut in hæc genealogia nonnulli homines sint quorum alerum nomen referatur in Latino, alterum in Græco; sed agrè admodum conciliatur illud, quod de Sa-

Raphaim, filii Achitob, filii Melchia, filii Eban, filii Nathania, filii Salathiel, filii Simeon, filii Ruben.

2. Et vir ejus fuit Manasses, qui mortuus est in diebus messis hordeacæ;

3. Instabat (1) enim super alligantes manipulos in campo, et venit æstus super caput ejus, et mortuus est in Bethulia civitate suâ, et sepultus est illic (2) cum patribus suis:

4. Erat autem Judith relicta ejus vidua jam annis tribus, et mensibus sex (3):

rasadaï filio Israelis legitur. Inter Jacobi filios nemo hujus nominis occurrit; nisi alterum hoc esse nomen Simeonis, quanquam nullo argumento, censeamus. Editio Complutensis: *Filia Merari, filii Oz, filii Joseph, filii Oziel, filii Helcia, filii Anania, filii Gedeon, filii Raphain, filii Achitob, filii Elia, filii Eliah, filii Nathanael, filii Salamiel, filii Sarasad, filii Israel*. Dissidet etiam Syrus, *Judith, filia Merari, filii Oz, filii Joseph, filii Oziel, filii Helkana, filii Chanan, filii Gabun, filii Dapian, filii Achitob, filii Nain, filii Melchia, filii Cir, filii Nathania, filii Samuel, filii Simeon, filii Israel*. S. Fulgentius in suis codicibus breviorum nactus est: *Manasses vir Judith, filius Achitob, filii Melchis, filii Eliah, filii Nathael, filii Surisoda, filii Simeon, filii Israel*.

In Vulgata Simeon Rubeni filius scribitur, contra fidem historię, que inter liberos Jacobi illum recensens, neminem è filijs Rubeni hoc nomine commemorat; ut autem ambiguitas omnis de Simeone, quem originis suæ autorem habebat pater Judithæ, subducatur, docet Juditham à posteris fuisse Simeonis patriarchæ: *Domine Deus patris mei Simeon, ait Judith, qui dediti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatone suâ, et demiderunt femur virginis in confusionem*. Credibile est, turbas, quæ hæc genealogiam vitiant, librariorum esse tribulendas, qui transpositis versiculis, eum primo loco descriperunt, qui tertio ponendus erat; quare progenitores Judithæ cum avis Manasse ejus viri misenerunt. Genealogia Manasse, quam S. Fulgentius seorsum exhibet, quæque hic legitur sub genealogiâ Merari patris Judithæ in Græco et Syro, conjecturam hæc mirè confirmat.

Ut illud concilietur, quod legitur in Latino, Merari scilicet patrem Judithæ, originem retulisse Simeone et Rubeno, interpretes quidam censuerunt Juditham paterno quidem genere ad tribum Rubeni, materno verò ad Simeon pertinere. Sed legendum in nostro textu maluerim: *Simeon fratris Ruben*, seu potius, ut apud Syrum et S. Fulgentium: *Simeon filii Israel*. Conjectura hæc aperto ad eam Scripturæ testimonio fultur, ut ambiguitatem omnem evitet. Ambro igitur conjuges, Manasse et Judith, è tribu Simeonis erant; Judith per Salathiellem, et Manasse per Sarasadaï. Ita turbæ omnes in hoc textu conciliantur. Quod librariorum errorem traxit, ut geminas hæc

Raphaim, fils d'Achitob, fils de Melchia, fils d'Eban, fils de Nathania, fils de Salathiel, fils de Simeon, fils de Ruben.

2. Son mari fut Manassé, qui mourut au temps de la moisson des orges;

3. Car il pressait ceux qui liaient les gerbes dans un champ; l'ardeur du soleil lui donna sur la tête, et il mourut dans Bethulia, sa ville, et il fut enseveli avec ses père.

4. Il y avait déjà trois ans et demi que Judith était restée veuve de lui.

genealogias miscerent, illud esse potuit, quod cum genealogiâ feminarum ut plurimum non texantur, suspicari potest seriè genealogicam Judithæ exhibitam v. 4, eandem esse ac seriem Manasse, de qua v. 3, et re non satis expensâ, genealogiam Manasse recitatam v. 5, alij quidem penitus omiserunt, alij in unam eandemque cum genealogiâ Judithæ, de qua v. 4, miscuerunt. (Galmet.)

(1) Tanquam summus præfectus, ut Græcæ significant, super omni messorum multitudine in campo magno Bethulie vicino. Videtur enim Manasses non privatim tantum et propriis agris invigilasse, sed in publicis, cum publico præfecti munere. Nam ejusmodi præfecturas apud Hebræos fuisse, testis est Josephus, qui de *Æbutho Decadarcho* scribit, «magni campi præfecturam illi commissam fuisse.» (Tirinus.)

(2) Græcæ et Syrus ferunt sepulchrum fuisse in agro inter *Dothaim et Belmean*. Belmean ipsa est eademque sæpius recurrens modò sub nomine *Belmean*, modo *Belma*, vel *Belm*, vel *Baalmean*: sed præterquam quod illi repugnat Vulgata, quis credat, Manassem sepulchrum sibi in loco à tribu suâ et Bethulia adeo remoto parasse? Etsi enim Bethulia in tribu Zabulonis poneretur, cur sepulchrum inter Dothaim et Belmean constituitur? Abest huic Dothaim decem amplius leucas. Si legas *Baalmean*, ut nonnulli visum est, error augebitur, cum *Baalmean* trans *Jordanem* faceret. Si accipias de Abeline Brocardi, unicus leucâ à Bethulia, statim ostendemus, urbes *Abilim*, vel *Abilimam* nimis longè abuisse ab eâ Bethulia, quam ibi constituisse visum est. Erat *Abilim* in Coele Syria, erat in Peræa, in Phœniciâ, ad *Jordanem*, propè *Jerichontem*; sed nulla in Galilæa. Igitur rejiciendum huic locum censensus, tanquam additamentum, auctoritate et fidè carens, atque inhærens Vulgata, quæ sepulchrum Manassem affirmat cum *patribus suis*. (Galmet.)

In Græco est: *Kai θάλας ἀείρη γὰρ τὸν ἀπὸ πνεύματος ἐν τῇ ἐρηθί τῶ ἀντακούσθη καὶ θάλασσο, et sepelierunt eum cum patribus suis in agro qui est inter Dothaim et Balamo; ubi *Abelaim*, *Balamos*, et sepelierunt eum cum patribus suis in agro qui est inter Dothaim et Balamo; ubi *Abelaim*, *Balamos*, autem idem qui *Balamos*, *Belmen*, 4, 5, et *Balamos*, *Belmean*, 7, 5, in Græco; nimirum *λλ* *λλ*, omnino *Δ*, sive *Γ*. Variè enim talia pronuntiabantur, ac scribebantur. (Grotius.)*

(3) Græcæ et Syrus *Annis tribus et mensibus*